

### 3. Tagebuchbeilagen

**De abdicatione principatus verba in Paedagogio Regio ultima tres selectae classis discipuli facient.**

**Freyer, Hieronymus**

**Halle (Saale), 30.03.1724**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-155175**

A 198: 138

TG. 1724. 29. II. 6. 1724 30. III.

X

*Q. D. B. V.*

DIE XXX MARTII HORA X

DE

# ABDICTIONE PRINCIPATVS

VERBA IN PAEDAGOGIO REGIO VLTIMA  
TRES SELECTAE CLASSIS DISCIPVLI  
FACIENT.

QVOS VT BENEVOLE AVDIANT

PATRONI ET CVLTORES  
INGENIORVM AC BONARVM ARTIVM  
CETERASQVE IVVENTVTIS NOSTRAE EXER-  
CITATIONES HONORIFICA PRAESENTIA SVA  
PER HOC BIDVVM EXCITENT,

HUMANISSIME ROGAT,

POST QVAM

DE

PHILIPPORVM HISPANIAE REGVM  
EX HAC VITA DISCESSV

QVAEDAM PRAEFATVS EST,  
HIERONYMVS FREYER,

PAED. REG. INSP.



Errarum dii (a) principes sunt; si munus species, ve-  
nerandum, salutare, diuinitus ac-  
ceptum ac Dei vice etiam curan-  
dum: si conditionem propriam;  
puluis, caduci, mortales, et a qui-  
bus frustra quis humani quid-

quam putet alienum. Testatur hoc communis in  
hanc vitam ingressus: sed multo saepe clarius notabilis  
atque insperatus ex eadem discessus. Inter tot ac tam  
varia temporum et locorum omnium exempla vel soli  
Hispanorum PHILIPPI documento sunt, in regia  
quoque fortuna ab ætatis florentioris successibus vitæ  
vltima mirum quantum et quoties posse differre.  
Quem PRIMVM huius nominis reuereri Hesperiae ul-  
timæ regna cœperunt: maximi imperatoris filius erat,  
potentissimi regis gener, prouinciarum ditissimarum  
possessione iam ante felix et mox dissidorum in utro-  
que orbe imperiorum heres certissimus. Sed mor-  
tem repentinam neque hic secundissimarum rerum  
cumulus remorari; nec firma, qua ceteroquin erat,  
valetudo potuit: ne accepti veneni (b) suspicionem,  
arcibus magis quam tuguriis metuendi, aliasque tam  
subiti excessus causas nunc repetam. De hoc Ioannis  
Marianæ, notissimi rerum Hispanicarum scriptoris,  
meditationem (c) hic subiungere non ab re fuerit. Eo  
fine, inquit, vitam clausit Philippus rex, vix regni incho-  
ati primis fructibus delibatis. Quid nobilitas profuit? quid  
ætatis flos, eximia totius corporis orisque dignitas? quid  
opes et potentia, quibus ceteros principes christianos facile  
superauit? quid regia et splendidus aulicorum numerus?

) 2

Cun-

(a) Psalm. LXXXII, 1 et 6. (b) Io. Marian. de reb. Hisp., I, XXVIII.  
c. 23; (c) loc. cit. p. 606.

*Cuncta peruerit mors importuna præcepsque. Tantum si-  
bi in rebus humanis sumit! PHILIPPVM II post innu-  
meras terra et mari clades illatas acceptasque tandem  
phthiriasis consumxit. De acutissimis doloribus, inter  
quos animam hoc modo exspirauit, et de adspectu  
corporis putrescentis miserabili exposuerunt (d) plures:  
e quibus vnum citare Hugonem Grotium placet,  
in annalibus Belgicis (e) de ea re sic scribentem. *Didu-  
tæ terrum, inquit, quanta vis pedicularum perpetuo secuta sit:*  
*vt quidem multis manibus circa vnum laborantibus minima  
pars esset residua fôrdis, quod excernebatur.* Mox ubi debi-  
le corpus omnisque contactus impatiens mundari vltra nequi-  
bat: tam obscena tabe viscera exesus firmo atque inuicto aduer-  
sum dolores animo, quod vitæ sibi restare intelligebat, ad mor-  
tis meditamenta retulit; quippe ossum compagi insigne ca-  
pitis regium imponi iubens, suosque subinde artus filio et na-  
tæ ostentans docebat, quam fragile esset, quod in rebus huma-  
nis maximum habetur. TERTIVS PHILIPPVS exitum  
ex hac mortalitate sortitus esse plane singularem dicitur.  
Sedenti enim ad caminum, accensi ligni copia  
nimis æstuantem, ac tolli titionem iubenti se excusa-  
uerat marchio Pobarius: curare dubitans, quod alieni  
officii putabat. Qui dum huc illuc discurrit, Vceden-  
sem ducem, cuius hæc prouincia erat, magno studio  
quæritans: erysipelis circa caput ex æstu contractis  
paullo post in letalem rex morbum incidit. Ita referre  
virum aliquem doctum (f) inuenio: et si ignarus, quem  
in ea re auctorem potissimum sequatur. Illud vero cer-  
tum atque in primis etiam memorabile est, quod mor-  
ti vicinum hunc principem suprema voce testatum plu-  
,,res (g) confirmant: scilicet vanam esse mundanæ glo-  
,,riæ*

(d) Vid. Eman. Meteran. hist. Belg. I. XX. p. 453. Paull. Piasec. chron. p. 163. Iac. Aug. Thuan. hist. I. CXX. p. 828. (e) Lib. VI. p. 331. (f) CL. Hübner. hist. part. II. p. m. 351. (g) Meteran. hist. Belg. I. XLI. p. 350. Theatr. Europ. tom. I. p. 612.

„riæ pompam; ipsamque maiestatem regiam, quæ vi-  
„uentibus tam augusta et iucunda videatur, amaram  
„deponenti et grauem; sibi quidem longe satius fuisse,  
„si in solitudine hos xxii imperii sui annos transegisset,  
„ignotique potius nominis monachus quam tantarum  
„opum rex decederet. Quod de pietate regis inter-  
pretari Adolphus Brachelius (h) cl. Schurtzfleischio  
(i) videtur: quum ipse ad calamitatis sensum potius  
actorumque conscientiam referre malit. Sed ad PHILIPPI IV mortem venimus, saltem hoc nomine nota-  
bilem, quod et herede regni impubere necdum ætatis  
annum quartum egresso contigit; et vehementi sanguini-  
nis fluxu(k) sic accelerata est, ut intra paucos admodum  
dies præter cutem et ossa nihil reliqui haberet corpus  
marcidum: ne quid de lapide dicam, quem aperti post  
fata renes(l) per se satis magnum et tamen cum aliqua  
appendice ostenderunt; illustri documento, contra vim  
externam custodia muniri corpus regium aliquo modo  
posse, intestinæ necesitati non minus quam insimæ fortis  
exuuias obnoxium esse. Tandem PHILIPPI V vltima,  
superest, ut paucis attingamus: nam pluribus qui-  
dem in re vbique peruulgata haud opus videtur. Abiisse  
eum honore regio, omnes sciunt: sed mirantur etiam,  
abiisse; et, cur abierit, non pauci sunt, qui curiosius ri-  
mantur. Nostrum non est, magnorum gesta principum  
temerario ausu interpretari: neque tamen semper vtile,  
quæ inter homines geruntur ac fiunt, prorsus ignorare.  
Certe futurum id in Carpetanorum regia, quod factum  
esse non ita pridem resciuimus; saltem, ut fieret, a multis  
optatum, a nonnullis etiam postulatum: iam ante ad nos  
faina(m) Hesperia, Pyrenæos montes nihil morata, pertu-  
lerat. Nam et regis ipsius valetudinem iam occuperat mus-

)C 3

sita-

(h) hist. nostr. temp. I. I. p. 55. (i) dissert. LI. de mot. Belg. p. 81.  
(k) Theatr. Europ. tom. X. p. 81. (l) Io. Wolfgang. Iægeri hist. sœc. XVII.  
tom. 2. p. 209. (m) Fam. Europ. part. CCLXXI. p. 646 seqq.

sitare, non tam corporis viribus quam animo, præsertim ab Aurelianensis ducis obitu, deficientis; et feminei impotentiæ imperii: nec a diuulgandis magnatum desideriis, in filii regii iuuentute plus spei ac præsidii collocantium, plane abstinuerat. Quæ si inter se conferantur accuratius: id saltem euincere videntur, nondum esse, quod iis temere subscribamus, qui rei nouitate inducti ad simulationem referunt omnia totique negotio arcaniora quædam consilia subesse suspicantur. Abdicauit se regno Philippus, cui consequendo tot annorum sumtus et pericula impenderat: abdicauit se, et ad priuatam vitam rediit. Christiani autem est, pie semper dignoscere, quæ Dei sunt, quæ hominum in humanis rebus: vitæque præsentis occasione sic fui, vt nec sibi iam occidisse omnium dierum solem sedulo meminerit. Atque hoc animo etiam e nostris alumnis quidam contemplari insperatam hanc et illustrem scenæ Hispaniensis catastrophen adgressi sunt: commodato inde sermonibus argumento, quos ritu solenniore apud nos habere solent, quotquot curriculi scholastici stadio legitime et (quod paucis datum videtur) ad metam vsque confecto, hoc est, e selecto discentium ordine academiam adeunt. Nam de ABDICATIONE PRINCIPATVS verba inter commilitones ultima facere constituerunt: pensis ita distributis, vt WILHELMVS BALTHASAR a Blome, Eques Francus, *principatus abdicati varia exempla*; CHRISTIANVS SIGISMUNDVS Richter, Halensis, *varias cauſas*; et GEORGIVS ERNESTVS a Golz, Eques Neomarchicus, *varium euentum ex antiquæ a recentioris historiæ monumentis repetiturus sit*. Quorum laudabili studio vt ingeniorum ac bonarum artium PATRONI et CVLTORES non minus quam ceteris iuuentutis nostræ exercitationibus per hoc biduum beneuelle adsint, qua decet, obseruantia et officiorum pollicitatione etiam atque etiam rogo. Abituris autem discipulis ita semper faueat benignissimus Deus, vt in patriæ commodum parentumque gaudia porro et salutariter præparentur et feliciter adolescent. P. P. Halæ Magdeburgiæ in  
Pædagogio Regio IV Cal. April. A. S. R.

CCCLXXXVII

CON-

# CONSPECTVS EXAMINIS.

DIE XXX MARTII AB HORA VIII AD XII.

1. Clasfis theologica iv.
2. Latina v.
3. Latina, philosophica et theologica selecta.
4. Oratio *de variis abdicati principatus exemplis.*
5. Latina iv.
6. Oratio *de variis abdicati principatus causis.*
7. Latina iii.
8. Oratio *de vario abdicati principatus euentu.*
9. Latina ii inferior.

AB HORA II AD VI.

- |                        |                    |
|------------------------|--------------------|
| 1. Theologica iii.     | 7. Latina i.       |
| 2. Græca iii.          | 8. Gallica ii.     |
| 3. Latina ii superior. | 9. Hebræa.         |
| 4. Græca ii.           | 10. Gallica i.     |
| 5. Gallica iv et iii.  | 11. Astronomica.   |
| 6. Anatomica.          | 12. Theologica ii. |

DIE XXXI MARTII AB HORA VIII AD XII.

1. Oratoria germanica ii.
2. Geographica ii.
3. Arithmeticæ.
4. Oratoria germanica i.
5. Geographica i.
6. Historica.
7. Geometrica.
8. Poetica lat. ii inferior.
9. Logica.
10. Poetica lat. ii superior.
11. Gallica selecta.
12. Poetica latina i.

AB HORA II AD VI.

- |  |                            |
|--|----------------------------|
| 1. Theologica i.                         | 6. Physica experimentalis. |
| 2. Præpar. geographica.                  | 7. Præpar. geometricæ.     |
| 3. Præpar. arithmeticæ.                  | 8. Repet. geographicæ.     |
| 4. Præpar. historicæ.                    | 9. Repet. historicæ.       |
| 5. Præpar. physicæ.                      | 10. Repet. geometrica.     |
| ii. Consideratio templi Hierosolymitani. |                            |

ORA-

# ORATIONES.

## EX CLASSE SELECTA.

IOANNES WOTISLAVS a Wobeser, Eques  
Neomarchicus, *de usu litterarum gubernanda re-  
publica* dicet latine.

## EX CLASSE LATINA I.

MICHAEL GODOFREDVS Päßler, Berolinensis,  
*de optimo litterarum magistro, græce.*

ALEXANDER GODOFREDVS Merzdorf,  
Magdeburgensis, *de quinque zonis mundi, germanice.*

IVSTVS FRIDERICVS BERNHARDVS Helm-  
kampf, Brunswicensis, *de interitu regni Gothici in  
Hispania sub Roderico, carmine heroico latino.*

HENRICVS ERNESTVS a Nassmer, Eques Po-  
meranus, *de vesperis Siculis, gallice.*

IOANNES IOACHIMVS Bewert, Berolinensis,  
*de fatis Ratisbonæ, carmine elegiaco latino.*

GRATIAS VTROQVE DIE BENEVOLIS AV-  
DITORIBVS AGENT SEQVENTES:

CHRISTIANVS ALEXANDER a Schweiniß,  
Eques Lusatius, postquam paralipomena quæ-  
dam *de quinque zonis mundi præmisit, germanice.*

IOANNES CHRISTIANVS WOLFGANG  
Gütle, Francus, laudato prius astronomiæ studio, lat.

FRIDERICVS LVDOVICVS Bucholtz, Beroli-  
nensis, *de illustrissima Mediceorum gente quædam  
præfatus, latine.*

MARTINVS a Cleric, Eques Griso, *de excidio tem-  
pliorum ante dicturus, germanice.*